



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Ferocitas in timiditatem versa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A ergo per Salomonis præceptionem, ut semper Christi, vel Spiritus sancti solatia requiramus. Sed antequam cornuum Cervinorum genera prætereamus, id observandum, è Cervorum genere, qui cornibus latis sunt, Tragelaphos, ut tradit Eucher. Divinis literis nuncupari. Animadverti interdum è summis fraxini arboris ramis nasci quid ad hujusmodi cornuum similitudinem, furculo quippe aliquo detruncato, mox gummi de cortice exundante, qui in eam mox speciem Virgiliani visci more crescat, & vario flexu modo in spiram, modo instar acanthi, flexibus anguineis incurvetur: id quicquid sit lignum omnino est, atque admodum solidum, sed forma lata strisque multiplicibus loricata.

FEROCITAS IN TIMIDITATEM VERSA.

CAP. XVII.

Sed quoniam in Tragelaphum incidimus (qui nomen id adeptus est à cornibus, quæ propter latitudinem & strias hujusmodi hircinis admodum similia sunt, ramosa tamen, sed non in acutum tendentia) quid de Hippocervo dicemus, quem nostra vidit ætas, anteriore parte Equi, posteriore Cervum sesloris & ephippii patientem, ingressu tamen incommodo, utpote qui modo assultu, in festa modo succussatione seslorem conqussaret? Misit hunc dono Fridericus I. Mantuæ Dux Francisco Galliarum Regi, salutis nostræ anno xxxiv. supra M. D. Quod si quid hujusmodi pingere voluerimus, non incongruum erit animalis hujus hieroglyphicum, ferocem impetu primo hominem significare, qui mox in pavidum evestigio degeneret, & in fugacitatem elabatur.

DE CORNIBUS.

SPECIOSÆ FORTUNÆ INCONSTANTIA.

CAP. XVIII.

Quoniam vero Cervus ad Lunæ similitudinem cornua nunc amittit, nunc reparat (nam & fidei cornua & decidere & succrescere videntur) hieroglyphicè nonnulli ponunt Cervi cornua, si quempiam ab ignobilitate modo ad honores evectum, modo ab honoribus ad ignobilitatem redactum assiduo fortuna rotatu, varioque eventu, significare voluerint. Solis enim animalium cornua recidivaque annis omnibus Aristoteles Achaicis Cervis hoc ait accidere: eosque, ut supra dictum, præ pudore tamdiu latitare, & loca difficilia accessu petere, donec alia renascantur, quamvis castratis ajunt, neque decidere, neque si prius deciderint, renasci. Toto vero opere cornua dignitatis, potentia, fortitudinis, authoritatis, & imperii indicia esse demonstrantur.

SACROSANCTA DIGNITAS. CAP. XIX.

Hinc aliud nascitur hieroglyphicum, ut sacrosancta dignitas ex unoquoque cornu significetur, *Cornu sacrè significatio.* quod antiquissima omnis veterum indicat disciplina. Honoris enim, uti dicebamus, & potentia signum tam apud Gentiles, quam apud Christianæ pietatis cultores, quique eos præceperunt Hebræos, habita sunt cornua. In Divinis siquidem libris cornu passim pro Regia dignitate positum reperimus, complexaq; similitudine quadam inter se, cornu, radium, & coronam. Inde Moses cornibus insignis effingitur, cujus facies divini Solis lumine correpta, radiis quibusdam igneis promicare videbatur: adeo ut Israeliticus populus cum splendorem eum ferre non posset, oculis ad obtutu cæcutientib; ab eo ut velata facie verba faceret studiosissime contenderunt. Eadem porro dictio apud Hebræos & cornu & coronam denotat. Unde sæpius apud Latinos in literis Divinis cornu pro Corona positum legimus, passimq; ex instituto veteri coronæ regie radiorum referunt similitudinem: ut non temere olim institutu sit eas Apollineo capite duodecim pretiosis lapillis confici, qui splendore suo promicantes caput univsum radiis illustrarent. Totidem autem radiis coronas regias constaret, tum ex numis veterum, monumentisq; aliis vel ære fuis, vel marmore incisis, tum ex Virgiliano *Virgilio Aeneid. lib. 9.* carmine videmus, ubi Latinus tædera certaminis inter Æneam & Turnum sancturus, sic ait:

*Quadrifugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,
Solis avi specimen.*

Signa